



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXVII. Nemo, et si humilis & abjectus, despiciendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

exteriùs earundem exempla Proximis præbere, eòs-
que ad illarum imitationem excitare possitis.

PUNCT. III. *Et Pacem habete inter vos*, Ibid. Non enim sufficit per Virtutes internas rectè quempiam se habere ad seipsum, nisi in communitate degens, per Concordiam & Pacem rectè etiam se habeat ad Fratres & Sodales suos: unde ab omni æmulatione, contentione, dissensione, infestatione abstinendum. Quemadmodum S. Paulus Romanos in Epistola. c. 12. adhortatur: *Charitate Fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes &c. Idipsum invicem sentientes. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram DEO, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus Pacem habentes: non vos ipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ.*

MEDITATIO CCCXXVII.

Nemo, etsi humilis & abjectus, despiciendus. Matth. 18. v. 10.

PUNCTUM I. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Postquam Christus parvulos propter Humilitatem suam imitandos, & cum Charitate suscipiendos; nullumque illis scandalum præbendum docuerat, monuit etiam Discipulos, ne ullum talem contemnerent quacunque ratione, sed Salutis illorum curam æquè libenter susciperent, quàm aliorum, qui in hoc mundo magni, nobiles, divites, sapientes, potentes &c. videntur: imò hos illis sive ætate, sive propria de se, ac aliorum de illis æstimatione, parvulis quodammodo postponendos: id quod Christus Patris
su

sui Cælestis, & proprio Exemplo videtur docuisse, dum Luc. 10. v. 21. inquit: *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terra, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium enim Regnum Cælorum.* Neque verò eos tantum Christus hîc intellexit, quos ex corporis humilitate parvos & pusillos dicimus, sed illos maximè, qui ob humilis & abjecti statûs conditionem in oculis hominum parvi esse consueverunt: hos enim quantum præ reliquis Christus curaverit, patet ex delectu pauperum, ac humilium Discipulorum, & Auditorum, quorum electionem inter mirabilia sua numeravit Matth. 11. v. 5. *Cæci vident, claudi ambulant &c. pauperes evangelizantur.* Ne ergo contempnas unum ex his pusillis; sed humilibus, & coram mundo contemptibilibus operam tuam libenter impendas, instruendo in Catechesi, docendo in scholis, concionando in cathedris ignobilioribus, invisendo in hospitalibus, vel domibus vilioribus, juvando privatis colloquijs, aures dando in Confessionalibus &c. Quòd si ista officij tui non sint, stude saltem, ut ipse per Humilitatem & contemptum tuî ipsius inter parvulos numereris, quandoquidem à DEO tanti fiunt, ut eos contemni prohibeat, & alijs præferat; ut perpendit S. Paulus 1. Cor. 1. v. 26. scribens: *Videte enim Vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit DEVS, ut confundat fortis; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea, quæ non sunt; ut ea, quæ sunt, destrueret. &c.* Hæc & tu elige, & gaude, vel opta inter ea eligi.

PUNCT.

PUNCT. II. *Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Calis semper vident Faciem Patris mei, qui in Calis est.* Matth. 18. v. 10. Hanc rationem reddit Christus, cur nemo, quantumvis pusillus, humilis ac vilis sit contemnendus: quia Cælestes Principes, qui cum Rege Angelorum regnant in Cælo, & ante Faciem ejus adsunt, non contemnunt illos, nec dedignantur eorum curam, ac ministeria: quia amant illos, velut Conservos, & Clientes suos, ac præstita his obsequia velut sibi facta æstimant, & patrocinijs suis remunerantur tanquam potentes, & chari Amici DEI, quem vident, & in quo vident omnia, quæcunque Clientibus suis bene vel malè fiunt.

PUNCT. III. *Venit enim Filius hominis salvare, quod periérat.* Ibid. Hanc alteram rationem adducit Christus, cur minimus non sit contemnendus: quia ipse æqualiter pro omnibus mortuus est, & omnes vult Salvos fieri; adeoque Exemplum Christi, & Pretium pro omnibus expensum Infiniti Valoris facere debet, & movere, ut nemo contemnatur; sed æqualiter omnes æstimentur, diligantur, & adjuventur.

MEDITATIO CCCXXVIII.

De Ove perditâ.

Matth. 18. v. 12.

PUNCTUM I. *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit querere eam, quæ erravit? Confirmat Christus hac similitudine verba proximè præcedentia, nimirum; Venit Filius hominis salvare.*